Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



post victoriam. In qua sibi laus eterna. S. Lucam. In illo t.
Pastores loquebantur ad invicem. Transeamus usque bethleem. et videamus hoc verbum quod factum est. quod fecit dominus et ostendit nobis. Et venerunt festinantes. et invenerunt mariam et ioseph. et infantem positum in presepio. Videntes autem: cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt. et de hiis que dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hec. conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes deum. in omnibus que audierant et viderant. sicut dictum est ad illos. Credo in unum deum. Of. Deus enim firmavit orbem terre qui non commovebitur parata sedes tua deus ex tunc a se cu lo tu es. Sec. Munera nostra quesumus domine nativitatis hodierne misteriis apta perveniant. ut sicut homo genitus. idem refulsit deus. sic nobis hec terrena substancia conferat quod divinum est. Per. De sancta Anastasia. Accipe quesumus domine munera dignanter oblata. et beate Anastasie suffragantibus meritis. ad nostre salutis auxilium pervenire concede. Per. Prefacio. Quia per incarnati. Communicantes et diem sacratissimum. Sed et memoriam.
Co. Exulta filia syon laudabilia ierusalem ecce rex tuus venit sanctus et salvator mundi. Copl. Huius nos domine sacramenti semper novitas natalis instauret. cuius nativitas singularis humanam repulit vetustatem. De sancta Anastasia. Saciasti domine familiam tuam muneribus sacris. eius quesumus semper intercessione nos refove: cuius sollempnia celebramus. Per.
Ad publicam Missam super introitum cantetur iste tropus.